



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 48. Ordo Montis Oliveti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

miserat, a Papa confirmatam per diploma 17 Augusti editum.

Sæcul. XIV.

A. C. 1320.

§. XLVIII.

Ordo Montis Oliveti.

Illa ætas novum Italiæ dedit Ordinem Religiosum. Senis agebat celeberrimus Juris civilis Doctor Joannes Ptolomæus nobili ortus genere. Quodam die cum publice fungi suo munere deberet, oculis repente captus SS. Virginis opem implorabat spondens, si voti compos fieret, se relictis bonis omnibus vitam reliquam ejus servitio consecraturum. Sanatus ommissa doctrina, ob quam ingens auditorum numerus confluxerat, quid sibi contigisset, retulit, ac de contemptu rerum fluxarum nervosum habuit sermonem. Ut promisso staret, in vili amictu egressus ex urbe locum, qui Mons Oliveti dicebatur, adiit cum duobus aliis nobilibus Viris Senensibus Patritio de Patritiis, & Ambrosio Piccolominio. Ibi condidere sacellum & cellulas; atque Joannes, qui nomen Bernardi sumpsit, huc bona donavit sua.

Ferrav. 22.

Aug.

Quia in dies novi adveniebant discipuli, quorundam invidia illos velut hæreticos detulit ad Papam Joannem: qui eos Avenionem ad se accivit. Cum ii, quos Bernardus miserat, Papæ totam

Sæcul. XIV. tam vitæ suæ rationem exposuissent, in-
A.C. 1320. fontes judicavit, & ad Episcopum Areti-
 num, cujus in dioecesi Mons Oliveti
 erat, remisit, ut is congregationem il-
 lorum approbaret, eisque regulam præ-
 scriberet. *Ughell. to. I.* Episcopus Aretinus Guido
 p. 473. Tarlatus Restaurum Sacerdotem jussit
 locum construendo cœnobio maxime i-
 doneum designare, ibi crucem defige-
 re, primumque lapidem inter preces
 consuetas ponere. Ex consensu Episco-
 pi ibidem erectum est monasterium cum
 sua turri æris campani in honorem SS.
 Virginis sub regula S. Benedicti. Vo-
 cabatur cœnobium Anconitanum S. Ma-
 riæ de Monte Oliveti; & gubernatum
 semper fuit per Abbatem, nunquam
 per laicos aut Clericos seculares. I-
 dem onere decimarum, & quavis alia
 obligatione prædiatoria exemit Episco-
 pus, tantum confirmationem Abbatis,
 & inspectionem sibi reservans. Hæc
 sunt, quæ Bernardo & Patritio scripsit
 mense Martio anno 1319. Patritius
 primum in Abbatem cooptatus est re-
 cusante regimen Bernardo; qui tamen
 electus postea fuit anno 1322.